Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Tractatus ascetico-theologicus de conscientia erronea - Cod. Ettenheim-Münster 75

Cartier, Jean-Baptiste

[S.l.], 1733

Caput 4tum

urn:nbn:de:bsz:31-108631

Visual Library

Caput 4tum
De Conscientia Dubia

Dubium, quod est quædam suspensio Judicij, aliud est positivum, aliud negativum. Item aliud speculativum et aliud practicum. Positivum est suspensio intellectûs pro utraq; parte pares habentis rationes. Negativum est suspensio intellectûs pro neutra parte habentis rationes ad assensum; verùm ista divisio annaloga est, et impropria, nam ut bene advertit Tyrsus Gonz. hic disert. 7. §. 17 sic inquiens: Ubi pro neutra parte contradictionis occurrit ratio ulla movens ad eig assensum, non datur dubium morale utpote quod sine ratione utriusq; impellente intellectum, constare non potest, sed illud est mera nescientia, et ignorantia: ego enim modò non dubito, an astra sint paria, nec an Turca saltet, vel dormiat; quia pro neutra parte occurrit mihi ratio, sed penitus nescio atq; ignoro. Et interrogatus, sint ne astra paria v. respondere debeo: nescio; et ineptè responderem, dubito; quia si ita responderem statim posset aliquis interrogare. quam rationem dubitandi habes v. cui interrogationi nihil possem ego respondere.

Idem etiam colligit Celladeus p. 1. l. 4. q. 1 §. 2. ex S. Thoma dubium definiente, quod sit motus rationis super utraq; parte contradictionis cum formidine determinandi alterutrum.

Porro dubium speculativum est, quò dubitatur præcisè de veritate alicuius rei sine ordine ad praxin vel opus. v.g. an si Adam non peccasset, Christus incarnatus non fuisset v. Practicum verò est, quò dubitatur de honestate seu liceitate cuiusdam actionis. Et hoc duplex est; aliud nimirùm speculativè, aliud practicè practicum. Speculativè practicum est, quo in comuni et prescindendo à circumstantijs de aliqua actione dubitamus, sit ne illicita vel licita. v.g. si dubitem an per se ac prescindendo à circumstantijs liceat pingere die festo v. Practicè practicum est, quo dubitamus de aliqua actione in particulari, utrùm sit illa nobis pro hic, et nunc licita.

Dubium denique aliud est juris, aliud facti. primum respicit jus, legem aut praeceptum, dubitando an sit lex, nec ne; vel supposito quod sit, an sit promulgata, vel etiam an promulgata comprehendat hanc personam, vel hanc causam specialem. Secundum seu facti /: sub quo comprehenditur ~~et~~ dubium de faciendo :/ est dum quis certus de lege, dubitat an fecerit aut facere debeat aliquem actum ad quem obligat lex. v.g. novit poenitens adimplendam esse poenitentiam sacramentalem, dubitat an impleverit et an iterum implere teneatur, dubium habet de facto et de faciendo: sicut habet Confessarius dubitans, an absolverit poenitentem, et consequenter an non teneatur denuò absolvere. ~~His~~ ita notatis, quaritur jam an licitum sit operari cum conscientia dubia, pro cuiq resolutione sit.

Conclusio 1ma. Stante dubio, quod dicunt negativum circa liciditatem actionis moralis licitum est operari, ~~7 dummodo~~ 7 dummodo ceu inanis fluctuatio reputetur.

Prob. 1. Qui in ignorantia invincibili versatur, actio eius, quae in illa exercetur illicita esse nequit, Sed qui in dubio negativo detinetur, in ignorantia invincibili versatur, ergo eiq actio illicita esse nequit. M. Constat prob. min. In primis versatur in ignorantia, ut prius ostensum est. 2do. haec ignorantia est invincibilis, quia supponitur, quod adhibita diligentia per ullam rationem vinci non potuerit; ergo.

Prob. 2. Qui in huiusmodi dubio versatur prudenter dubitare nequit de existentia legis vel illiciditate suae actionis; ergo huiusmodi dubium ceu scrupulus, vel potius ut inanis fluctuatio contemni debet.

certus esse debet de existentia legis, et eius obligatione, ~~ut~~ ~~prudenter dubitet~~

Prob. Ant. Qui ex levi motivo dubitat de liciditate suae actionis, vel si mavis, de existentia legis, imprudenter dubitat; nam viri prudentes non levibus sed gravibus ducuntur rationibus; nec enim D. Thomas vel alius vir magnus inducetur in dubitationem, an aliqua actio sit peccaminosa propter aliquam rationem levem; Sed hanc omnino contemneret; ergo â fortiori imprudenter dubitare censendus est, qui nec leves, imo nec minimas ad dubitandum rationes habet, ac proinde huiusmodi dubium meritò contemnere ~~debet et~~ aut ceu inanem fluctuationem reputare debet.

Conclusio 2da Stante dubio positivo practice practico de honestate actionis nunquam licet operari. est certissima apud omnes. Ratio fundamentalis est; quia omnis sciens et volens exponens se periculo peccandi, peccat: sed qui exercet actionem stante dubio practice practico de eig honestate, is sciens et volens se exponit periculo peccati; ergo stante dubio practice practico de honestate actionis nunquam licet operari. minor est certa, Maior vero eruitur e illo Eccl. 3. Qui amat periculum, peribit in illo.

Conclusio 3tia Stante dubio speculative practico licite operamur, dumodo conscientiam practicam contraria formemus. est comunis.

Ratio est; quia intellectus aut ratio speculativa non est propina actuum humanorum regula sed sola conscientia seu dictamen rationis practice practicum. sic potest rusticus speculative dubitare, an hodie v.g. sit dies jejunii, et tamen attendens ad laborem, quem per totum diem sustinere debuit, licite non ieiunat. similiter licet possessor speculativum dubium habeat, an res, quam possidet sit sua ? eam tamen potest retinere, quia potest se resolvere et formare prudens dictamen practicum ex hoc motivo, quod in materia iustitiae et foro judiciali melior sit conditio possidentis. ergo stante dubio speculative practico licite operamur.

Quod autem dicitur de dubio speculative practico à fortiori intelligendum est de dubio mere speculativo ob paritatem rationis.

Notanter dici, dumodo conscientiam practicam contraria sid est certa formemus; nam nisi habeamus judicium saltem moraliter certum de liciditate aut honestate actionis nostra, illicite operamur, ut facile eruitur ex conclusione ~~prima~~ secunda, et magis patebit ex capite sequenti.

Sed quares, qualiter ergo conscientiam practicam contrariam quis formare possit, seu quod in idem redit, qua ratione dubium licite deponere queat ?

R. 1mo. Debita cum diligentia /: quanta videlicet rei gravitas ac personæ qualitas exigit :/ ei inquirenda est rei veritas : adhibita quoque oratione, nam qui indiget sapientia postulet à Deo Jac. 1.

2do. Cupiditates, pravosque affectus, qui mentem obnubilare solent, cohibeat, atque hanc animi dispositionem induat, ut si pro lege contra libertatem veritatem deprehenderit, huic prompto animo obsequi velit.

3tio. Tum denique perpendat ex quanam parte stent verisimiliora prudentiæ motiva, ut ei /: prout tenetur :/ assentire, ac dubium deponere ~~quat~~ possit.

4to. Juvat plurimum /: si occasio faveat :/ ut doctos probosque viros consulat, vel etiam juxta timoratorum praxim suam conscientiam dirigat.

5to. Quod si tales sint rerum circumstantiæ, ut veritatem assequi non possit, atque adeo pro utraque parte æqualis remaneat probabilitas, tunc sane tenetur sequi partem tutiorem, hoc est, quam sequendo nullum est periculum agendi contra ullam legem juxta regula iuris: In dubio tutior pars eligenda est: alioqui se exponit periculo peccandi.

6to. Si tamen versetur dubium circa materiam justitiæ atque dubitanti faveat possessio, tunc deponere poterit dubium mediante illa juris regula: In dubio melior est conditio possidentis.

Porro hanc regulam non solum in materia justitiæ, sed etiam aliarum legum ac virtutum locum habere docent communiter Doctores, quos vocant Probabilistas.

Ratio eorum est, quia peccati periculum non minus vitandum est in materia et lege justitiæ, quam in materia et lege cuiuscunque alterius virtutis; ergo si per adversos inquiunt, non obstante dubio in materia justitiæ potest nihilominus propter præfatam iuris regulam huiusmodi deponi dubium, cur id fieri non possit in materia aliarum legum ac virtutum?

Confirm. homo non minorem habet potestatem ac libertatem circa materiam V.g. alicuiq legis humana, quam virtutis justitiæ; ergo si per dubium in materia justitiæ ~~potest nihilominus~~ non deturbatur à possessione ac usu suæ libertatis, neq; ~~dubitari~~ debet in materia alterius virtutis aut legis. q deturbari

Neq; obstat inquiunt, quod Summi Pontifices in resolvendis quæstionibus sæpenumerò illa assumant axiomata: in dubiis tutior pars est eligenda. c. ad audientiam. item In dubiis semitam debemus eligere tutiorem. cap. Juveris q ~~lib. 5 decret~~. In his quæ dubia sunt, quod certius existimamus tenere debemus. clem. ~~l. 5 tit. 12~~ de verbor. signif., nam illa non semper allegant tanquam regulam universaliter obligantem, sed sæpè tanquam regulam convenientiæ, propter quam convenientiam iustè decernunt in particulari dubio V.g. patrati homicidii Clericum debere à sacris abstinere tanquam irregularem ob reverentiam tanto sacramento debitam. q de sponsal

Verùm opposita sententia mihi longe probabilior videtur; et ratio est, quia ad hoc, ut in materia justitiæ melior in dubio sit conditio possidentis, debet possessio esse certa et explorata: alioquin enim, si ipsa quoq; esset dubia, neutrius partis conditionem faceret meliorem. Ergò etiam ut in materia aliarum quoq; virtutum melior sit conditio libertatis tanquam possidentis, debet etiam illius possessio esse certa et explorata. Sed hæc in materia aliarum virtutum non est certa et explorata, quando dubium immediatè cadit supra existentiam legis: ergo in materia aliarum virtutum non est melior conditio libertatis possidentis. prb. minor subsumpta. libertatem hominis in ordine ad ponendam aliquam actionem esse in possessione "certa" seu quod in idem recidit, hominem in ordine ad talem actionem esse in possessione "certa" libertatis, et quidem moralis: de hac enim est quæstio, non de libertate merè physica: idem est, ac illum posse licitè ponere actionem vel omittere.

Sed quoties est dubium, an detur, vel non detur lex actionis alicuius prohibitiva, vel econtrario praeceptiva, dubium hoc ipso est, an homo licitè possit ponere talem actionem vel omittere: ergo dubium est an libertas hominis tunc sit in possessione, seu homo in possessione libertatis in ordine ad illam actionem.

Confirm. Quod omnium maximè hic versatur in questione, illud est, an homo stante dubio invincibili de existentia alicuius legis certam aliquam actionem prohibentis, vel praecipientis, licitè possit illam ponere, vel omittere, prout placuerit: ergo etiam est in questione, an tunc homo sit in possessione certa libertatis talis moralis ad eandem actionem ponendam vel non ponendam: quoniam ut dictum modò est, haec duo sunt prorsus idem, posse aliquem licitè actionem quamcumque ponere, aut non ponere, et esse in possessione certa libertatis ad eam ponendam, vel non ponendam. Non igitur supponi debet haec possessio certa libertatis pro tali casu sed probari: neqs illa possessio est principium, ex quo inferri legitimè possit dicta licentia: aliàs idem probaretur per idem, perindeqs faceres, ac si diceres: homo in dubio invincibili de existentia legis certam aliquam actionem prohibentis vel praecipientis potest illam licitè ponere vel omittere: ergo potest tunc illam licitè ponere vel omittere.

Porrò mihi satis non probatur allata superius axiomata locum solum habere pro quibusdam casibus. nam contrà est, quod manifestè Pontifices declarent habere locum in omni materia in qua est periculum peccati mortalis, ut evidenter patebit legentibus cap. Significasti de homicidio l. 5. decret. tit. 12. cap. Juvenis de sponsalibus, ibid. et cap. illud de Clerico excomunicato.

Praeterea si praeceptum insinuare voluissent summi Pontifices, quibq alijs verbis usi fuissent, quam debemus, tenemur, eligendum est, imò ridiculi essent, trahentes ex praefatâ regulâ suas resolutiones, v.g. debere aliquem se gerere, ut irregularem, ut excomunicatum &c, si crediderint eam non esse praeceptivam, sed tantùm consiliativam; cum ex mero consilio nulla sequatur obligatio.

Denique SS. Canones hanc regulam specialiter praescribunt ad tranquillandam conscientiam et graves remorsus conscientiae, ut constat ex Clement. de verb. signif. Sed si tantum contineret consilium, non verò praeceptum non esset specialis regula; cum semper melius sit tutiorem eligere semitam: ergo &c.

Dices: In dubio negativo licitum est sequi partem minus tutam; ergo etiam in dubio positivo.

Prb. Ideo in dubio positivo non esset licitum sequi partem min̄ tutam; quia aliquis se exponeret periculo agendi contra legem rejpsa fors extante; atqui eidem periculo se exponit is, qui in dubio ~~positivo~~ negativo eligit partem minus tutam, eò quod tam incertum sit operanti, an detur vel non detur lex de se prohibitiva actionis, quam ponit, dum nulla prorsus ipsi apparet ratio pro existentia illius legis, et nulla contra illam, quam incertum ~~id~~ est, quando apparet quidem pro utraq; parte ratio, sed omnino aequalis: sicut in bivio constitutus tam incertus est, an à viâ recta aberraturus sit, vel non, si ad dextram declinaverit, quando prorsus nulla ratio ipsi occurrit pro, vel contra; quam incertus de hoc est, quando pro utraq; parte occurrit ratio, sed aequalis, puta si ex duobus testibus aequalis alioquin authoritatis unus stat pro dextera, alter vero pro sinistra: et in utroq; casu aequale periculum viator subit à vera viâ aberrandi, si ad dextram declinarit. ergo.

Resp Neg. min. et eij adjectam rationem nam qui versatur in dubio negativo circa licitatem actionis certus esse debet, quod nulla detur lex

de se prohibitiva actionis, eo quod nulla prorsus ratio id suadeat, unde si dubitare pergat, sane imprudens ac irrationabile erit huius modi dubium, ut demonstratum est Concl. 1.

At vero, qui in dubio versatur positivo, non potest esse certus de non existentia legis, cum adsit ratio gravis eam suadens, unde ex eo, quod in dubio, quod dicunt negativum, licitum sit sequi partem minus tutam, male exgaitur id etiam licitum esse in dubio positivo.

Porro paritas de eo, qui in bivio constitutus est non subsistit, nam eo quod incertus sit de via recta, prudentem habet rationem fluctuandi, vel si mavis dubitandi, ne à via recta forsitan aberraturus sit, si ad dextram vel sinistram declinarit, qua fluctuatio et incertitudo nec minuitur nec augetur per hoc, quod unq testis stet pro dextra, et alter eigdem authoritatis stet pro sinistra. at verò, qui in dubio negativo circa existentiam legis versatur certq esse debet, quod non detur lex, ut jam dictum, neqs de eig existentia prudenter dubitare potest; accedente autem dubio positivo circa eam, sane tollitur illa certitudo et incipit prudenter dubitare propter rationes utrinqs probabiles. Ex quo patam fit paritatem adductam minimè subsistere posse.

Reflexio

ostendimus amice Lector, ~~qual~~ qualiter homo christianus dubia circa actus suos, ut licitè agat, deponere queat, ac debeat, Jam non aliud erit, si tantisper discutiamus, qua ratione omnem circa suam salutem dubitationem, seu ut verius dicam, animi fluctuationem sopire valeat.

Licet enim cum timore et tremore iuxta Apostolum nos oporteat nostram operari salutem; at minimè cum inquietudine, fluctuatione, ac animi anxietate; hæc enim hominem à bono opere retardant, ac tandem eò impellunt, ut in pusillanimitatem ac diffidentiam proruens non solum cum conscientia dubia, verùm etiam evidenter erronea operetur.

Ex igitur tibi duo præsidia pro dubiis salutis tuæ fedandis præsentissima, bonorum videlicet exercitatio operum, ac firma fiducia in Deum.

Primum quidem exstitur ex 2da Petri 1. his verbis: Fratres satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem et electionem faciatis. item ex illo Rom: 2. gloria autem et honor et pax omni operanti bonum. Vide in Symbolo S. Athanasii dicitur, qui bona egerunt ibunt in vitam æternam. Pulchrè S. Bernardus sermone ad Cler. Non transeant, inquit, opera nostra, sed

ut videntur, sed temporalia quoque
veluti æternitatis semina iaciuntur;
stupebit insipiens, cum ex hoc modico
semine copiosam viderit exurgere
messem.

Itaque dum tempus habemus operemur
bonum. nunc sunt dies salutis nunc
tempus acceptabile, nunc tempus con-
gregandi, postea erit tempus fruendi:
nunc divitias immortales congrega, et
ante omnia quæ tuo sunt saluti cogita.
ah de quanto periculo, de quam magno
timore eripere te valebis, si modo studeas
ut quondam coram iusto iudice vacuus
non appareas; tunc enim, ait author
libri imitationis Xti, plus valebunt sancta opera
tunc plus placebit stricta vita, quam
omnis delectatio terrena, tunc plus con-
latificabit pura et bona conscientia, quam
docta philosophia, tunc plus exultabit
caro afflicta, quam si in deliciis fuisset
semper nutrita. Lib. c. 24.

Et dum præsidium ad sedandas animi inquie-
tudines perutile deducitur ex illo Jobi
22do acquiesce igitur ei, et habebis pacem,
et per hoc habebis fructus optimos. Item
ex illo psalmi Sperantem in Domino
misericordia circumdabit, hoc est,
proteget illum Deus sua misericordia
et ab omni inimicorum infernalium
viam salutis obsidentium impetu tuebitur
ac tandem ad æterna gaudia perducet.
Bonus enim est Dominus timentibus

¶ quam multa pulchra verba,

¶ 24. Jacta super Dominum curam tuam et ipse te enutriet: non dabit in æternum fluctuationem justo. Rursus Psal. 36. Revela Domino viam tuam, id est, committe Deo negotium salutis tuæ, et spera in eo: et ipse faciet, id est, perficiet illud. Denique, Psalm. 31

cum, et animæ quærenti illum. Thren: 3. Suavis Dominus universis: et miserationes eius super omnia opera eius. Ps. 144.

Ex his ~~modo dictis~~ iam liquet, quòd homo sud
salutis cupidus bonorum exercitatione operum,
ac firmâ fiduciâ in Deum, quasi duabus
pennis columbæ deargentatæ subvehatur
in arcam cœlestem, ~~atque sic sic se~~ & quibus si munitus fuerit,
~~munitat, non habet, unde circa suam salutem~~ facilè omnem circa suam
~~fluctuet, aut anxietur~~; spes eiusdem salutem fluctuationem
certa sit, quasi res iam perfecta sit aut anxietatem propulsabit;
ait S. Aug: in psal: 155. Hoc breviter
innuit regius Propheta, dum psal. 36 nos
ita adhortatur: Spera in Domino et fac
bonitatem, et pasceris in divitiis eius:
quasi diceret; novi desideria tua, o anima fidelis
~~christiana~~, intelligo vota tua, percipio
suspiria, velles dulcibus sponsi tui amplexibus
perfrui, ac de torrente voluptatis eius
potari, at non potes modò, postea autem
poteris, si nunc meis acquiescas monitis.
Itaqs Spera in Domino spem scilicet tuam
Deo committe, totum te illi resigna,
totum te illi da, qui se totum pro te
dedit, et fac bonitatem, iustè nimirum,
piè, ac sobriè in hoc sæculo vivas, et tunc
pasceris in divitiis eius. Tunc enim erunt
amplexus et oscula, quæ vincunt mellis
pocula; tunc satiabitur anima tua, cum
apparuerit tibi Dei gloria, Non enim
~~quib~~ privabit bonis suis eos, qui am-
bulant in innocentia: Domine virtu-
tum beatus homo, qui sperat in
te. psal. 83

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
gefördert durch Baden-Württemberg
MINISTERIUM FÜR WISSENSCHAFT, FORSCHUNG UND KUNST